


Joachim Heinrich Pries


**Mortem Christi Vicariam : Ex Loco Pavlli 2 Cor. V. 14. 15. Probat, Et Dies Festos  
Memoriae Nati Servatoris Sacros Pie Transigendos Cives Academiae O. O.  
Honoratissimos Monet**

Rostochii: Litteris Adlerianis, [1788?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn878971548>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1788. Weihn.

~~A 1256. 422. g.~~

*Wesm 17*

MORTEM CHRISTI VICARIAM  
EX LOCO PAULLI 2 COR. V, 14, 15.  
PROBAT,  
ET  
DIES FESTOS  
MEMORIAE  
NATI SERVATORIS SACROS  
PIE TRANSIGENDOS  
CIVES ACADEMIAE O. O. HONORATISSIMOS  
MONET  
IOACHIMVS HENRICVS PRIES,  
THEOL. PROF. ORD. ET AD AEDEM SP. S. PASTOR,  
ACADEMIAE P. T. RECTOR.



---

ROSTOCHII,  
LITTERIS ADLERIANIS.

*4-1256. 922. 9.*

MORTEM CHRISTI VICARIAM  
 IN LOCO PASTORIS COR. V. 14. 15.  
 PROBAT.  
 ET  
 DIES FESTOS  
 MEMORIAE  
 NATI SERVATORIS SACROS  
 PIE TENENDOS.  
 CIVIS ACADEMIAE Q. HONORATISSIMOS  
 IOACHIMVS ROSTOCKVS PRIOR.  
 THEOL. PROF. ST. C. TASSON.  
 ACADEMIAE DIRECTOR.



ROSTOCKIA  
 LITTERIS ADELIANIS

1526 222 g



In quo videtur omnino ascendendum, per quam nos in  
 distinctionem JESV Doctori recte acceptam, salubris li-  
 tum regnum troelsum sacramentum Adolascens, et vire  
 sanctissimum propolisse nobis exemplis virtutum, quibus  
 tumens absoluitur. Omnia est ascendendum, illam per eandem  
 doctorum eius esse continentem, illam per eandem



**I**terum nobis, Cives O. O. honoratissimi, quum  
 illuxerit dies festus et laetissimus, cui na-  
 tiuitatis JESV CHRISTI memoriam  
 assignavit maiorum pietas; toto animo de eo nobis erit cogi-  
 tandum, vt beneficiorum a Seruatore partorum, multitudi-  
 nem ac excellentiam sensu intimo percipiamus, eoque sensu fi-  
 dem,



dem, reuerentiam, obsequium, laetitiam et spem sine excitemus, siue alamus et confirmemus. Quod quidem vt assequamur, dubio procul primo loco ponenda est cogitatio, quo sine Dominus noster benignissimus humanam assumeret naturam, et ex Maria natus sit. Ipse nobis affirmat, se Filium hominis venisse, vt seruet homines neglectos et ouium more errantes Matth. XVIII, 11., recreet fatigatos et onere oppressos Matth. XI, 28. 29., vitam suam *λύτρωσιν* det pro multis Matth. XX, 28. esse se a Patre missum, atque e caelo descendisse, vt morte sua humano generi felicitatem impetret aeternam Joh. III, 14 — 16, VI, 51 seqq. Eiusque legati ad vnum omnes, quoties idem argumentum tractant, quaeuis bona ex apparitione Messiae nobis exspectanda sistunt, 1 Tim. I, 15. 1 Petr. II, 21 — 24. Ebr. II, 14 — 17. Rom. V, 18. 19. etc.

In quo quidem omnino attendendum, beneficam nos institutionem JESV Doctori referre, acceptam; sustulisse illum iugum molestum caerimoniarum Mosaicarum, et vita sanctissima proposuisse nobis exemplar virtutum omnibus numeris absolutum. Omnino est attendendum, morte JESV doctrinam eius esse confirmatam, fidem per eandem fieri, peccata nobis condonari, si ab illis, praevio ordine per S. S. praescripto, recedimus, conspicuam esse in illa patientiam summam, et fiduciam in DEO repositam admirandam, ad excitandam in nobis constantiam sub calamitatibus, eumque religiose imitandum. Sed nec negligendum, mortem eius esse vicariam, JESVMque eo in primis sine venisse, vt  
nostri

nostri loco poenas peccatorum luat, atque immunitatem et salutem huius et futurae vitae nobis acquirat.

Praeter alia oracula in Codice Sacro obuia id quoque luculenter docetur a PAVLLO verbis 2 Cor. V, 14. 15. ἡ γὰρ ἀγάπη τῆς Χριστοῦ συνέχει ἡμᾶς κἀθαντας τῶτο, ὅτι εἰ εἰς ὑπὲρ πάντων ἀπέθανεν, ἄρα οἱ πάντες ἀπέθανον. Καὶ ὑπὲρ πάντων ἀπέθανεν, ἵνα οἱ ζῶντες μηκέτι ἑαυτοῖς ζῶσιν, ἀλλὰ τῷ ὑπὲρ αὐτῶν ἀποθανόντι καὶ ἐγερθέντι. Verba enim: ἄρα οἱ πάντες ἀπέθανον, propositioni iuncta: εἰς ὑπὲρ πάντων ἀπέθανε, aperte declarant, praepositionem ὑπὲρ non tantum propter, in fauorem, quemadmodum Matth. V, 44. Coloss. I, 24. Joh. XI, 4. sed potius loco, vice, sicut Philem. 13. et 2 Cor. V, 20. in effato hocce vertendam esse. *Vnus est mortuus pro omnibus, omnes itaque sunt mortui.* Mors vnus (CHRISTI), quam luit pro omnibus, ita est consideranda, ac si omnes illi essent ipsi mortui; substituta est pro omnium morte, peccati poena, ab ipsis luenda; illo vno mortuo DEVS omnes mortuos (multatos) censet. Hic saltem sensus primo obtuitu cuilibet se offert, qui omni alio respectu procul habito de verbis Apostoli meditatatur.

Interim non desunt aliae interpretationes <sup>a</sup>), quas sub examen vocabo, vt eo magis constet, argumentationem, quae

A 3

pro

<sup>a</sup>) Explicationem, quam post *Augustinum* (cuius loca e Tr. de ciuitate DEI, de baptismo paruulorum, et contra Iulianum citat Calouius in



pro euincenda morte CHRISTI vicaria e verbis PAVLLI ducitur, firmo niti fundamento.

Prima illarum est *Socini*, qui credit *b*), substitutionem CHRISTI in locum nostri Apostolum his verbis docere, eam ob caussam afferi non posse, quia statim Redemptoris reditum in vitam adjiciat; nec propositio: CHRISTVS resurrexit ὑπὲρ ἡμῶν, vlllo pacto significare possit, eius resurrectionem nostrae resurrectionis loco substitutam esse, aut per eius resurrectionem alia quapiam ratione pro nobis satisfactum fuisse. Maiorem speciem prae se ferret exceptio, si participio ἐγγεθέντι itidem additum esset ὑπὲρ αὐτῶν: haec autem verba quum desint, et PAVLLVS minime dicat, CHRISTVM ὑπὲρ ἡμῶν vitam recepisse, quamuis trina vice in effato hocce morti CHRISTI praeponat particulam ὑπὲρ, statim

in Bibl. illustr. ad h. 1.) tætur *Bellarminus* de amissione gratiae et statu peccati Libr. IV. Cap. 4. de controuersis Christianae fidei aduersus huius temporis haereticos Tom. IV, pag. 60. ex edit. Colon. 1628. iam non attendo. Propositio: ἀρα οἱ πάντες ἀπέθανον, de morte miseriae in peccato exponitur, et Apostolo tribuitur argumentatio: quos oportuit morte CHRISTI redimi, illos oportuit morte miseriae antea defunctos fuisse. Eadem vero, quae interpretationi *Grotii* oppono, et hic valere, insuper hanc explicationem ad demonstrationem de benevolentia CHRISTI, in qua Apostolus occupatur, nil conferre, in promptu est.

*b*) in praeflectionibus Theologicis Cap. XX, Operum Tom. I, pag. 580.

statim illa corrui. Praeter ea argumentum nostrum ne quidem tangit: illius enim vis non adeo residet in particula ὑπὲρ, sed in propositionibus: CHRISTVS ὑπὲρ πάντων mortuus est, omnes itaque sunt mortui; quarum posterior priorrem explicat.


*Secunda* interpretatio, quae nobis opponitur, maiorem meretur attentionem. Ea ut Socini asseclis *c)*, *Grotio* *d)* aliisque eiusdem aevi placuit, ita recentiori aetate plures accepit propugnatores *e)*. Juxta illam in toto commate decimo quinto Christianorum modo docetur officium, in honorem Redemptoris pro illis mortui et resurgentis vitam agere sanctam, duplici ratione, et tropice et proprie, expressum. Eam ob causam ἀγάπη τῆ Χριστοῦ de amore, quo CHRISTVM amplecti fas est, exponitur *f)*; particulae καὶ tribuitur significatio *eternum*

*c)* *Ion. Schlichtingio a Bukowiek* in comment, posth. ad plerosque N. T. libros. Tom. II. p. 117.

*d)* Annotat. in N. T. ad h. l.


*e)* Vid. *Polus* in Synopsi ad h. l. Apologie der Vernunft durch Gründe der Schrift unterstützt, in Bezug auf die christliche Veröhnungslehre, Basel 1781. Seite 154. *Babrdt* in den neuesten Offenbahrun-gen Gottes, Theil 2. Seite 105. So einer für alle gestorben; so sind sie alle verbunden worden (Röm, 6, 1. folg.) ihm gleichsam nachzusterben.

*f)* Quidam saltem ita iudicant; ut *Grotius*, et *Beza* cum *Vorsio* apud *Polum* l. c.



nim; ἀπέθανον vertitur per officium moriendi, ut actus ponatur pro officio, et indicetur, non quod sint Christiani, sed quod esse debeant. Vnde hic exoritur sensus: *Dilectio, quam CHRISTO debemus, nos compellit, ut qui hoc statuamus: quandoquidem CHRISTVS mortuus est pro omnibus (in gratiam omnium) omnes debent mori (nempe peccato). Etenim eam ob causam est pro omnibus mortuus, ut illi, qui viuant, non sibi viuant etc.* Interpretatio tandem illustratur dictis Rom. VI, 2. et I Petr. IV, 1. 2. sensumque hoc loco breuius enunciatum esse declaratur. Non quidem omnes, qui ita de verbis PAVLLI sentiunt, simul substitutionem CHRISTI pro nobis negant; attamen explicatio sibi si constaret, argumentum, quod exinde nectimus, concideret. Ἀγάπη τῷ Χριστῷ, Apostolos impellens, vtrum de amore CHRISTI erga genus humanum, an vero de PAVLLI reliquorumque Apostolorum erga CHRISTVM amore rectius exponatur, iam non disquiram. Voces secundum Grammaticam et vsum loquendi in N. T. vtrumque denotare possunt, et fere perinde est, quidnam eligatur; amorem enim CHRISTI erga genus humanum subsequenter verbis: ὑπὲρ πάντων ἀπέθανε, doceri, ab omnibus conceditur. Mihi quidem prius cum plurimis magis placet, quamuis etiam magni nominis Theologi e nostris posterius praetulerint, e quibus b. Moshemium g) nominare satis est. Non quoque adeo vrgebo translationem particulae καί. In se illam ad imitationem Ebraeorum particulae ἵ verti posse *etenim*, non plane

g) In der Erklärung des zweyten Briefes an die Corinther, Seite 294.



plane quidem negauerim; locum tamen e N. T. qui omnem oppositi formidinem excluderet, de ista significatione me nescire fateor. Nimium quantum autem huic interpretationi repugnat translatio vocis ἀπέθανον per officium moriendi peccato. Summa cautione conferenda est regula: *actus ponitur pro officio*; et ubi locum inuenit, textus περιάσεις semper necessitatem producit, quae in praesente effato adfit tantum abest, ut contrarium potius lucidissime appareat. Et antecedit et sequitur in versu nostro ἀπέθανε, atque utraque vice ab ipsis fecus sentientibus vertitur per actum: *mortuus est*. Jam vnum idemque tempus, eiusdem verbi, in eadem orationis serie, absque ratione adducta, quae tropum requirat, bina vice per actum, semel autem per officium, exponere, quoniam argumento legitimum iustumque pronunciabitur? Tales interpretandi regulas sibi permittens, sensum quemcunque Scripturae effatis subiicere poterit. Loca adiecta Rom. VI, 2. et I Petr. IV, 1. 2. eandem doctrinam continere, quam PAVLLVS in parte posteriori commatis nostri tradit, largior; sed ad verba, in quorum explicatione versor, transferenda non sunt. Rom. VI, 2. additur vox ἀμαρτία, et PETRVS I Ep. IV, 1. 2. ne quidem tropo illo: *peccato mori*, loquitur, sed verbis propriis enunciat: quum CHRISTVS pro nobis carne passus sit, patienter omnes calamitates, sanctitati promouendae inferuientes, perferendae, et generatim actiones placitis diuinis conformiter componendae sunt.

B

Quae



Quae tertio tandem loco nominanda est interpretatio; cum praecedente quidem in eo conuenit, vocabulum ἀπεθανον vertendum esse officium moriendi; in hoc vero discrepat, quod non de officio moriendi peccato, sed de officio omnia agendi, quaevis dura tolerandi, quid? quod moriendi in commodum et salutem fratrum explicetur, idemque hoc loco doceri declaretur, quod JOHANNES I Ep. III, 16. praecipit. Proponitur illa in der allgemeinen deutschen Bibliothek Theil 23. Seite 140. his verbis: Der Ausspruch Pauli 2 Cor. 5, 15. heisst nichts anders, als: *Da Einer für alle gestorben ist; so sind sie alle verbunden zu sterben.* Man merke auf den Zusammenhang. In den vorhergegangenen Versen hatte er gesagt: von den Gedanken eines zukünftigen Gerichts beherrscht, habe er bey seinem Lehr-Amt unter ihnen keinen andern Zweck gehabt, denn ihre Belehrung, Heiligung und Glückseligkeit. Aber nicht dieser Beweggrund allein wirkte hiebey. Auch das Beyspiel der *Liebe Christi bewog ihn eifrigst, ihr Bestes zu befördern.* Denn die (v. 14.) *Liebe Christi zu dem Menschen-Geschlecht treibt uns an zu ähnlichen Verhalten, indem wir so schliessen: da dieser Eine für alle gestorben ist, aus Wohlgefallen alles für sie aufgeopfert, sie der Unwissenheit, dem Aberglauben, der Unsittlichkeit, und deren Folge, dem Verderben, zu entreißen, seine Zeit, Fähigkeiten und Kräfte verwandt, ja selbst sein Leben dahin gegeben; so sind auch diese alle verpflichtet, zu sterben, das heisst, nach seinem Muster wieder um des Bestens anderer willen alles zu thun und zu leiden, ja wenn solches ihren Tod erfordert, selbst diesen nicht*



zu scheuen. *Und er ist* (v. 15.) *darum für alle gestorben, damit die, welche leben, nicht mehr ihnen selbst, bloß nach ihren Einfällen, bloß zu ihrem Vortheil und Vergnügen, leben, sondern dem, nach dem Muster, der Vorschrift und Absicht desjenigen, der für sie, bloß zu ihrem Besten, gestorben und auferweckt worden ist* — — Paulus sagt hier eben das, was Johannes im 1 Briefe 3, 16. *darin, an dem Beyspiele, haben wir die wahre Beschaffenheit, die Grösse und den Umfang der Liebe, welche wir unsern Neben-Menschen schuldig sind, recht kennen zu lernen; nemlich, gleichwie er Jesus Christus sein Leben für uns, ein ewiges Glück uns zu verschaffen, gelassen hat; eben so sind auch wir verbunden, für die Brüder, wenn es zu ihrer Besserung, zu ihrer Stärkung im Guten, und zu ihrem ewigen Wohl dienen kann, unser Leben zu lassen.* Quae superius de voce ἀπέθανον monui, etiam hic valent: et hoc solum ad repudiandam interpretationem iam sufficeret, etiamsi plura opponi non possent. Accedit vero, hanc explicandi rationem violentae vitio non esse liberandam, quum de amore homini ab homine exhibendo Apostolo non sit sermo, atque omni plane exemplo destituatur assertio; tot ideas, in proximi felicitatem veram omnia agenda, durissima quaevis patienda, quid? quod mortem non detrahendam esse, vnicuique voce ἀποθνήσκειν comprehendi posse. Incongrue satis Johannes allegatur; ille enim totus in eo est, ut charitatem Christianam explicet, nec quidem officium, pro fratribus mori, generatim per ἀποθνήσκειν, vel ψυχὴν τιθέναι, sed



ita exprimit: *ὀφείλομεν ἡμεῖς ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν τὰς ψυχὰς τι-  
θεῖναι.* Ad contextum vero quod attinet, ille apertissime no-  
strae explicationi fauet, quae quippe argumentum suppeditat  
fortius pro euincendo illo, in cuius declaratione Apostolus  
versatur. Inde a commate nono huius capituli e praestantia  
muneris Apostolici, sibi et sociis in praedicando Euangelio a  
DEO demandati, quam in praecedentibus docuerat, et ab  
obiectionibus defenderat, officia deriuat, a se et reliquis lega-  
tis CHRISTI expedienda. Summo nobis studio est eniten-  
dum, ut Domino placeamus, cui ratio est olim reddenda v. 9.  
10. elaborandum, ut homines ad conuersionem seriam ducan-  
tur, et ad vitam probe pieque agendam excitentur (*ἀνθρώπους  
πείθομεν* v. 11. conf. Actor. XVIII, 4.) Magna fide semper  
ita egi, DEVS me talem noscit; vos Corinthii, ut spero,  
eadem ratione de me iudicabitis, et calumniis atque obtrecta-  
tionibus, a Pseudo-Apostolis in mei detrimentum dissemina-  
tis, occurrere facile poteritis v. 12. 13. Ad tales nos praeben-  
dos fortissime vero etiam impellimur amore CHRISTI, quo  
genus humanum profecutus est. Mortuus est pro omnibus et sin-  
gulis, et illo vno mortuo iam idem est, ac si omnes ipsi mortui,  
et peccatorum poenam perpeffi essent. Ita nobis est iudican-  
dum, haec veritas est firma. Eam autem ob causam eo ma-  
gis est nobis prospiciendum, ne in quopiam pereant redemptionis  
fructus, omnibus destinati, et quiuis excitandus est, ut recon-  
ciliationem cum DEO et iustitiam a IESV morte vicaria  
acquisitam per nostrum ministerium consequatur v. 18—21.

Ad.

Adest hic exactissima cohaerentia; et deprehendet sane quilibet ex serie orationis Paullinae, hac ratione declaratae, argumentum fortius ad fidelitatem in munere praebendam, quam si ex officio Christianorum, in gratiam fratrum calamitates pati et mortem oppetere, ratiocinatio Apostolo tribuitur, vel quemadmodum in explicatione antecedente, e fine mortis CHRISTI ad vitam sancte transigendam solo illum concludere asseritur. Simul vero apparet, in effato PAVLLI non esse deserendum significatum verborum proprium, et eligendum improprium, rarius occurrentem, cui Textus ipse repugnat. Propositiones: *ἕως ὑπὲρ πάντων ἀπέθανεν, ἄρα οἱ πάντες ἀπέθανον*, se inuicem explicant, et pro substitutione Redemptoris in locum nostri probationem suppeditant, nullo argumento refellendam.

Conferatis proposita, Ciues O. O. honoratissimi, ad augendam conuictionem de arduo illo sanctissimae nostrae Religionis capite, in Codice sacro toties declarato, non Doctorem solum, et Redemptorem a peccati dominio JESUM CHRISTUM esse, sed vere pro delictis nostris satisfecisse, et crimina nostra passione et morte expiasse. Laeti recordemini diebus hisce festis finis huius, cur natus sit, et frequentes adfuit cultui publico, et sermonibus sacris, qui piis cogitationibus et sensibus excitandis, fouendis, alendis materiam vobis

sup-





suppeditabunt. Celebrate Seruatorem benignissimum ob beneficia Vobis parata, et illorum fruitione dignos Vos reddatis, semperque conferuetis, fide illique iuncta vita sancta.


P. P. SVB SIGILLO RECTORIS  
FERIA I. NATIV. CHRISTI A. R. S.


MDCCLXXXVIII











Adest hic exactissima cohaerentia; et deprehender sane quilibet ex serie orationis Paullinae, hac ratione declaratae, argumentum fortius ad fidelitatem in munere praebendam, quam si ex officio Christianorum, in gratiam fratrum calamitates pati et mortem oppetere, ratiocinatio Apostolo tribuitur, vel quemadmodum in explicatione antecedente, e fine mortis CHRISTI ad vitam sancte transigendam solo illum concludere asseritur. Simul vero apparet, in effato PAVLLI non esse deserendum significatum verborum proprium, et eligendum improprium, rarius occurrentem, cui Textus ipse repugnat. Propositiones: *ἕως ὑπὲρ πάντων ἀπέθανεν, ἄρα οἱ πάντες ἀπέθανον*, se inuicem explicant, et pro substitutione Redemptoris in locum nostri probationem suppeditant, nullo argumento refellendam.

Conferatis proposita, Ciues O. O. honoratissimi, ad augendam conuictionem de arduo illo sanctissimae nostrae Religionis capite, in Codice sacro toties declarato, non Doctorem solum, et Redemptorem a peccati dominio JESUM CHRISTUM esse, sed vere pro delictis nostris satisfecisse, et crimina nostra passione et morte expiasse. Laeti recordemini diebus hisce festis finis huius, cur natus sit, et frequentes adfuit cultui publico, et sermonibus sacris, qui piis cogitationibus et sensibus excitandis, fouendis, alendis materiam vobis

sup.

